



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Fructus spiritus quid sit, & quo modo sub vmbra Dei propriè percipitur: &
quòd ad rationem fructus duo requiruntur. Cap. XLIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

Lucæ 10.

iuuat industria, parum dandum est inquisitioni, & multam vnctio-
ni. Hoc denique pro certo tenendum est, quod quisquis huius dilecti
desiderio flagrat, quanto eum familiarius nouit, tanto amplius amat,
eoque feruentius illius desiderio æstuat. Hinc dicit in Euangelio dile-
ctus, quod *unum est necessarium. Vnum*, inquam, in quo est omne bo-
num, imò quod est omne bonum, & totum & solum bonum. Cogita
nunc, o anima mea, quantum sic illud bonum, & quam delectabile,
quod continet iucunditatem omnium bonorum, & non qualem
experti sumus in rebus creatis, sed tantò differentem, quantum differt
Creator à creatura. O qui hoc bono fruatur, quid illi erit, & quid illi
non erit? Certè quicquid uolet, erit: & quicquid nolet, non erit. Cur
ergo per multa vagaris homuncio? Ama vnum bonum, in quo sunt
omnia bona, & sufficit tibi.

*Fructus spiritus quid sit, & quo modo sub umbra Dei proprie per-
cipitur: & quò ad rationem fructus duo requi-
runtur. Cap. XLIX.*

Vmbra
causat
tri.

S*ub umbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gut-
tur meo.* Canticoꝝ secundo. Ad huius intellectum sciendū, quòd
tria sunt quæ causant vmbra, scilicet lumen, medium, & obiectū.
Christus igitur secundū diuinitatē, lumen est, à quo scilicet vmbra
Dei causatur. Medium autem ad cuius similitudinem hæc vmbra cõ-
pingitur, est eius humanitas per suæ gratiæ plenitudinem, & merito-
rum suorum abundantiam. Obiectum verò luminis, quòd & vmbra
efficitur, est nostra voluntas, diuino lumini spontanea affectiõne sub-
iecta penitus: vt sicut vmbra mouetur secundū omnem motum in-
terpositi, à quo causatur, & ipsum quocunque processerit, comitatur:
sic illa voluntas vmbra Dei iam effecta, spiritum eius ad directionem
intrinsecus per omnia subsequitur, & extrinsecus humanitatem Do-
mini Iesu, eiusq; doctrinā etiam in omnibus semitis perfectionis imi-
tatur. Sic igitur nostra voluntas, vbi se diuino beneplacito funditus
offert, ibi ipsa Dei & Deus eius vmbra culum efficitur: quia in alteru-
tro suauiter requiescunt, & alter mirabili dulcissimaq; fruitione quadā
alterius est cõplexus. Vnde fidelis anima sub hac vmbra tria se reperit:
se gloriatur. Primò, desideratam vmbra, id est, ab æstū vitiorum, quò
diaboli laqueos vitare possit, concupitam refrigerationem, quantum
ad vim concupiscibile. Nam mali ardent in suis concupiscētis: imper-
fecti

Vmbra ani-
ma.

facti patiuntur æstium multimoda tentationis: sed charitate perfecti
 refrigerium inueniunt in memoria Dominicæ passionis, sicut Helias
 sub umbra iuniperi: Ecce umbram: *Christo igitur in carne passio, & vos
 eadem cogitatione armamini.* Secundò verò in umbra lesionem, id est,
 in omni aduersitate per gratam patientiam, omnimodam mētis quie-
 tationem, quantū ad vim irascibilem. Vnde dicit Prosper in libro de
 vita contemplatiua, & habetur de Pœnitentia distinct. 2. cap. Chari-
 tas est: Illi verò plus quàm se Deum diligunt, qui propter eius amorem
 ad tempus suæ salutis non parcunt, se ipsos tribulationibus ac periculis
 tradunt, nudari facultatibus proprijs, patriæ suæ extorres fieri, paren-
 tibus, vxoribus ac filijs renuntiare sunt parati: & ut totum dicam, ip-
 sam mortem corporis non solum non refugiunt, sed etiam libenter
 excipiunt. Ecce lesionem. *Elegi abiectus esse in domo Dærmes, Et iterū
 Improperium expectauit cor meum, & miseriam.* Tertio fructus inue-
 nit dulcedinem, id est, spiritualem refectionem, tam in agendis, quàm
 in cauendis. & sustinendis, ingeminans cum Psalmista: *Quam dulcia
 suncibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Nec mentitus est, qui dixit: *2. Cor. 7.
 Repletus sum consolatione, super abundo gaudio in omni tribulatione nostra.*
 Et hic est fructus, de quo nunc loqui intendimus.

Fructus ergo nomen à corporalibus ad spiritualia translatum est. *Fructus*
 Dicitur enim fructus in corporalibus, quod vltimum ex plantis vel *quid.*
 arboribus producitur, & cum quadā suauitate percipitur. Et, secundū
 hoc, fructus hominis dicitur vltimus hominis finis, quo frui debet. Si
 autem dicatur fructus hominis id quod ex homine producitur, sic ipsi
 actus humani fructus dicitur. Operatio enim est actus sensus operan-
 tis, & habet delectationem si sit conueniens operanti. Vnde si procedit
 ab homine, secundū facultatem suæ rationis, tunc dicitur esse fructus
 rationis. Si verò procedit ab homine, secundū altiorē virtutē, quæ est
 virtus Spiritus sancti, sic dicitur esse fructus spiritus, quasi eiusdē di-
 uini seminis, sicut dicit Iohannes: *Qui natus est ex Deo, peccatum non*
facit, quoniam semen ipsius in eo manet. Vnde fructus spiritus propriè di-
 citur, actus virtuosus, qui fit cum spirituali delectatione propter finem
 vltimū, etiam si in se nihil habet delectabile secundū naturam, vt
 patientia: nam in Deo solo quis delectari debet propter se, sicut propter
 finem vltimum, vt scilicet, propter, dicat causam finalem. Sed in acti-
 bus virtuosis delectari debet, non sicut propter finem, sed propter ho-
 nestatē quam continet, delectabilem virtuosis. Dicit enim Ambrosius,
 quod

Vltimum
quid dica-
tur.

Galat. 5.

Fru.

Finis.

Quo fruen-
dum.

quod opera virtutum dicuntur fructus, quia suos possessores sancta & sincera delectatione reficiunt. Ex ijs elicetur, quod ad ratione fructus duo pertinent, scilicet, quod sit vltimum expectatum, & quod cum quadam dulcedine vel delectatione quietet appetitum. Est igitur aliquod vltimum simpliciter, quod scilicet ad aliud non refertur, sed in quo delectatur aliquis sicut in vltimo fine: & hoc proprie dicitur fructus, & eo proprie dicitur aliquis frui. Est etiam aliquod vltimum secundum quid, quia est aliquorum vltimum, habens in se quandam delectationem, ad quam precedentia referuntur: & hoc aliquo modo potest dici fructus, sed non proprie, & secundum completam rationem eo frui dicimur. Et sic ea, quae ponit Apostolus ad Galatas, dicens: *Fructus autem spiritus sunt charitas, gaudium, pax*, &c. dicitur fructus spiritus, quia sunt effectus quidem Spiritus sancti in nobis, non ita tamen dicuntur fructus spiritus, ut eis fruamur tanquam vltimo fine, sed tanquam quibusdam medijs ad vltimum finem, nec habent perfectam & completam rationem fruitionis. Vel, secundum Ambrosium, dicitur fructus, quia per se petenda sunt, non quidem ita, quod ad beatitudinem non referantur, sed quia in seipsis habent vnde nobis placere debeant. Ceterum, frui, quandam importat comparationem voluntatis ad vltimum finem, secundum quod voluntas habet aliquid pro vltimo fine. Habetur ergo finis dupliciter. Vno modo perfecte, quod scilicet habetur non solum in intentione, sed etiam in re, & sic perfecta fruitio est finis iam habiti realiter. De qua dicit Augustinus decimo de Trinitate, quod frui est cum gaudio uti. Et sic finis iam habiti, est fruitio propria & perfecta. Alio modo imperfecte, quando scilicet habetur tantum in intentione: & illa est fruitio finis necdum habiti realiter, sed tantum in spe, & intentione. De qua idem Augustinus i. lib. de doctrina Christiana, cap. 4. dicit, quod frui est amore inherere alicui rei propter seipsam. Hoc enim fieri potest etiam de re nondum habita. Verum tamen huiusmodi fruitio finis vltimi nondum habiti est quidem propria, sed imperfecta propter imperfectum modum habendi finis vltimum. Denique fruitio, quia derivatur a fructu, ideo hoc modo fruitio ad similitudinem fructus, est actus voluntatis & charitatis, cuius obiectum est vltimus finis & summum bonum, scilicet Deus, aut Dei visio. Simpliciter autem & proprie, fruendum est tantum vltimo fine, scilicet Deo, per visionem habito & assecuto, ac etiam ipsa visione, in quantum ipsa visio est quadam Dei assecutio: principalius tamen fruenda est Deo, quam

quàm ipsa visio, quia ad istam complacentiã habendam, quæ fructio dicitur, principaliter mouet Deus, quàm visio. Nam visio nos beatos facit formaliter, & Deus effectiue. Causa autem effectiua maior est, quàm causa formalis, cum causa efficiens etiam sit causa causæ formalis: sicut ignis principaliter mouet quantum ad caliditatem, quàm calor, qui imprimitur aquæ, licet ignis aquam non calefaciat, nisi mediante calore, quem sibi imprimit. Omnis igitur fructio causatur ex amore, qui mouet voluntatem ad actum, & reddit actum delectabilem, licet de ipsa natura amoris est, nunquam quiescere vel otiosi: quatum tamen amori propinquat æterno, tantum ipsi fructioni appropinquat, quæ vacare cogit. Nam amor etiam in incipientibus & proficientibus sicut in suis exercitijs consequitur suam practicam, sic & pro modulo suo quandam perſentit fructionem, id est, dulcissuam internam oblectationem. Dicit enim Origenes super Cantica: De natura boni operis est, quod ad ipsius multiplicationem multiplicatur & delectatio, & quasi quoddam spirituale condimentum est sibi hilaritas bene operantis. Hinc dicit Albertus Magnus: Quod bonum operatum facit dulcedinem in gustu, & gaudium in corde. Veruntamen huiusmodi dulcedinem spiritualem in arduis, grauibus & pœnalibus, solus operatur amor Dei perfectus, qui est gustus spiritus.

Fructio
vnde.

Quomodo mens bene disponitur cum duodecim fructibus, & de multiplici subiecto fructionis, & quod aliquo fruimur multis modis. Cap. L.

Sub umbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. De fructibus his dicitur in libro Apocalypſeos; *Ostendit mihi Dominus flumen aquæ viue splendendum tanquam crystalli, procedentem de sede Dei & Agni, id est, Spiritum sanctum, qui procedit à Patre & Filio, iuxta illud Iohannis 7. Flumina fluunt de ventre eius aqua viua. Hoc autem dixit de Spiritu sancto. Sequitur: Et ex vitæ parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, id est, Christus, qui dat vitam comedentibus eum, nunc per fidem, postea per ipſam.* Dux partes fluminis sunt vita præſens, & vita futura. Citra flumen ergo Christus est lignum vitæ, per sui Corporis & Sanguinis exhibitionem in Sacramento altaris. Ultra flumen est idem lignum vitæ, per suæ speciei tam humanæ, quàm diuinæ exhibitionem. Citra flumem affert duodecim fructus, quos enumerat Apostolus ad Galatas, dicens: *Fructus*

Lignum vitæ
Christi.